AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 98v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



hoc illi duo euangeliste non dixerunt · cum tamen dicerent
quod eum accusabant · Ergo iste ipsa etiam crimina que
falso obiecerunt aperuit · tacuit autem quod ei dixit pilatus · non respon
des quicquam · iude in quantis te accusant · Sed plane sequitur
& dicit · quod etiam illi dixerunt · Pilatus autem interrogauit
eum dicens · Tu es rex iudeorum · At ille respondens ait · Tu dicis ·
Hoc autem matheus & marcus commemorauerunt ante quam dicerent
compellatum ihesum · quod eis accusantibus non responderet · Hi
chil autem interest ueritatis quo ordine lucas ista retulerit ·
quemadmodum nichil interest si alius aliquid tacet quod alius
commemorat · quemadmodum in consequentibus dicit · Ait
autem pilatus ad principes sacerdotum & turbas · Nichil in
uenio causae in hoc homine · At illi inualescebant dicentes ·
Commouet populum docens · per uniuersam iudeam · & incipiens
a galylea usque huc · Pilatus autem audiens galyleam · interro
gauit si homo galyleus esset · Et ut cognouit quod de hero
dis potestate esset · remisit eum ad herodem · qui & ipse iheroso
limis erat in illis diebus · herodes autem uiso ihesu · gauisus est
ualde · erat enim cupiens ex multo tempore uidere eum ·
eo quod audiret multa de eo · & sperabat signum aliquod
uidere ab eo fieri · Interrogauit autem illum multis sermo
nibus · At ille nichil illi respondebat · Stabant etiam principes
sacerdotum & scribe constanter accusantes eum · Spreuit
autem illum herodes cum exercitu suo · & illusit indutum
ueste alba · & remisit ad pilatum · Et facti sunt amici herodes &
pilatus in ipsa die · nam antea inimici erant ad inuicem ·
hec omnia idem quod a pilato ad herodem missus est dominus
& que ibi gesta sunt lucas solus indicat · etiam si aliquid
ibi ait simile · quod in aliis narrationum locis apud alios